

# EPISTULA LEONINA

## CXVII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEPTIMAM DECIMAM (117) !**

## **ARGUMENTA**

|   |              |
|---|--------------|
| <b>ULTIMI LABORES HERCULIS .....</b>                      | <b>04-14</b> |
| <b>DE FABULA LUPI MARINI A IACOBO LONDON SCRIPTA.....</b> | <b>15-21</b> |

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam septimam decimam.*

*Hac in Epistulâ invenies nonnulla **verba Calliclis** in Gorgiâ Platonico allata et **ultimos labores ab Hercule exanclatos** et summarium fabulae cuiusdam Iacobi Londinii praeclarae, c.t. **Lupus Marinus** (The Sea-Wolf, Neo-Eboraci a. 1904).*

*Quaeris, quaenam sit cohaerentia rerum tam diversarum? Dicam tibi: Tres symbolae omnes spectant ad quandam doctrinam philosophicam. Quaeris, ad quam spectet? Tolle, lege, mirare: Qui quaerit inveniet, pulsanti aperietur...*


**Pancraticē vale et perge mihi favere!  
Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Martis, 06. m. Sept., a.2016**



**ΔΙΚΑΙΟΝ ΕΣΤΙΝ  
ΤΟΝ ΑΜΕΙΝΩ ΤΟΥ ΧΕΙΡΟΝΟΣ ΠΛΕΟΝ ΕΧΕΙΝ  
ΚΑΙ ΤΟΝ ΔΥΝΑΤΩΤΕΡΟΝ ΤΟΥ ΑΔΥΝΑΤΩΤΕΡΟΥ**

**CALLICLES**

**5. sc. a.Chr.n.**


cfr **PLATO Gorgias 483** δὴ δέ γε οἷμαι φύσις αὐτῇ ἀποφαίνει αὐτό, ὅτι δίκαιον ἐστιν τὸν ἀμείνων τοῦ χείρονος πλέον ἔχειν καὶ τὸν δυνατώτερον τοῦ ἀδυνατωτέρου. ... [484β] δοκεῖ δέ μοι καὶ Πίνδαρος ἄπερ ἐγὼ λέγω ἐνδείκνυσθαι ἐν τῷ ἀσματὶ ἐνῷ λέγει ὅτι — ... τεκμαίρομαι ἔργοισιν Ἡρακλέος, ἐπεὶ — ἀπριάτας — "λέγει οὕτω πως — τὸ γὰρ ἄσμα οὐκ ἐπίσταμαι — λέγει δ' ὅτι οὔτε πριάμενος οὔτε δόντος τοῦ Γηρυόνου ἡλάσατο τὰς βοῦς, [484ξ] ὡς τούτου ὄντος τοῦ δικαίου φύσει, καὶ βοῦς καὶ τᾶλλα κτήματα είναι πάντα τοῦ βελτίονός τε καὶ κρείττονος τὰ τῶν χειρόνων τε καὶ ήττονων. - i.e. Latinê: **Meā quidem sententiā ex ipsā naturā id patet iustē fieri, ut melior plus habeat peiore et firmior plus infirmiore...** Pindarus quoque mihi videtur ad hoc alludere, quod dico, in carmine, in quo dicit — "...demonstro operibus Herculis; nam — inemptos —" - sic ferē dicit — nam hoc carmen non nōvi — dicit autem (Herculem) neque emptos neque a **Geryone** donatos boves abegisse, cum hoc esset naturā iustum, boves aliaque **omnia possessa peiorum atque infirmorum esse meliori atque valentiori**.

# **MYTHI GRAECORUM**

**a Gustavo Schwab narrati**

**et a Leone Latino in Latinum conversi (47)**


## **LABORES HERCULIS ULTIMI**



**BOBUS ABACTIS HERCULES INVEHITUR  
IN GERYONEM GIGANTEM TRICORPOREM**

Heros cum balteum reginae Hippolytae ad pedes Eurysthei deposuisset, is Herculi nihil quietis concessit, sed statim illum emisit, ut sibi adduceret boves gigantis Geryonis. Qui in insulâ Erythiâ, quae sita est in sinu Gaditano, possedit gregem pulchrorum boum coloris badii, qui sibi custodiebatur ab altero gigante necnon cane quodam bicipite. Geryon ipse erat ingenti longitudine, tribus corporibus, tribus capitibus, sex bracchiis, sex pedibus. Nullus umquam terrigena ausus erat in eum facere impetum; Hercules bene vidit, quot et quantae res sibi necessariae essent ad hoc facinus difficile praeparandum. Ubique enim terrarum notum erat Chrysaorem patrem Geryonis, qui propter

divitias suas nomine gladii aurei appellabatur, regem esse totius Hiberiae, praeter Geryonem pro eo tres filios alios pugnare omnemque filium Chrysaoris imperare virorum pugnacium exercitui numeroso. Eâ autem de causâ Eurystheus Herculi illum labore mandavit exanclandum; nam idem rex speravit heroem expeditionem in talem terram facientem tandem vitam amissurum esse sibi exosum. At Hercules haec pericula haud minus audacter subiturus erat quam illa priora. Exercitum conscripsit in insulâ Cretâ, quam a bestiis feris liberavisset, et primo navem appulit ad Libyam.




#### **HERCULES LUCTATUR CUM ANTAEO**

Ibi Hercules luctatus est cum Antaeo gigante, qui novas vires accipiebat, quandocumque tetigerat Tellurem matrem suam; at Hercules Antaeum sublatum in aëre tenens tam vehementer compressit, ut suffocaretur. Praeterea Libyam purgavit a bestiis rapacibus; nam Hercules oderat bestias feras necnon homines nefarios, quia eadem omnes sibi videbantur esse imagines illius domini superbi et iniusti, cui tam diu servierat.

Hercules, cum diu per regiones siccas migravisset, tandem pervenit in loca fertilia, quae a fluminibus perfluebatur. In iisdem Hercules urbem ingentis magnitudinis conditam appellavit Hecatompylon, i.e. urbem

centum portarum. Denique pervenit ad Oceanum Atlanticum, ad locum adversus Gades situm; ibi erexit duas columnas Herculis illustres. Sol autem ardebat tam vehementer, ut Hercules non iam diutius passus oculis in caelo defixis arcu sublato minatus est fore, ut sagittam iacularetur in Solem deum. Hic autem deus Herculis audaciam miratus ei lancem commodavit auream, in quâ Sol ipse iter nocturnum facere solet ab occasu usque ad ortum. Per hanc lancem Hercules cum classe suâ iuxta se navigante vectus est in Hiberiam.



### **ECCE SOL DEUS AURIGA**

Ibi invenit tres filios Chrysaoris tribus exercitibus magnis instructos, quorum unus haud procul collocatus erat ab altero; Hercules autem omnes duces duello imperfecto terram expugnavit. Deinde venit in insulam Erythiam, ubi Geryon cum gregibus boum suis habitabat. Ubi primum canis biceps animadvertisit Herculem adesse, in eum invectus est; at Hercules eum recepit clavâ armatus, qua primo occidit canem, deinde bubulum ingentem, qui advenerat cani affuturus. Tum heros cum bobus properè abiit; at Geryon eum assecutus est, ut pugna exoreretur vehementissima. Ipsa Iuno apparuit, ut gigantem adiuvaret; at Hercules in deae pectus sagittam iaculatus est, ut ea vulnerata non posset, quin aufugeret. Etiam gigantis corpus triplex, quod circa stomachum coniunctum erat, sagittâ mortiferâ acceptâ occubuit. Facinoribus gloriiosis factis Hercules rediit boves per Hiberiam Italiisque agitans. Prope Rhegium in Italiam inferiore situm unus e bobus suis aufugit fretoque tranato pervenit in Siciliam. Sine morâ Hercules aliis quoque bobus in aquam agitatis ipse in Siciliam

transvectus est cornibus alicuius tauri comprehensis. Variis facinoribus factis heros nunc per Italiam, Illyriam, Thraciam in Graeciam feliciter reversus Isthmum advénit.



**HORTUS HESPERIDUM**  
Pinxit Edward Burne-Jones a.1873

Nunc Hercules decem labores omnes exanclavit, sed quia Eurystheus duos labores contendit parum ritē esse exanclatos, heros debuit exanclare duos labores additios.

Olim cum nuptiae Iovis atque Iunonis sollemniter celebrarentur omnesque die pari coniugum magnifico dona nuptialia offerrent, Tellus ipsa noluit ab aliis liberalitate superari; itaque eadem dea curavit, ut in litore magni oceani mundani cresceret arbor ramosa mālorum aureorum plena. Quattuor virgines, quae vocabantur Hesperidae, filiae Noctis, erant custodes huius horti sacri, qui praeterea custodiebatur a Ladone, dracone centice, progenie Phorcyos, patris tot monstrorum, et Cetūs terrigenae. Istius draconis oculi numquam somno coniverant, istud monstrum cum appropinquabat, annuntiabatur sibilatione formidulosā; nam centum gulis cum erat instructus, tum ex omni earum sonabat vox alia. Herculi autem mandatum erat, ut isti monstro eriperet māla aurea

Hesperidum. Hic semideus iter incohavit longum et periculosum, quo se mandavit caecae Fortunae, nam nescivit, ubi Hesperides habitarent. Primo pervenit in Thessaliam, ubi habitabat Termeros gigas, qui omnem peregrinum, in quem incidebat, eo necabat, quod incursans caput suum durissimum cum alterius capite collidebat. At caput gigantis diffractum est crano Herculis divino. Itinere perfecto ad flumen Echedorum heros incidit in aliud monstrum, Cycnum, filium Martis et Pyrenae. Qui a semideo de hortis Hesperidum rogatus pro eo ut responderet, postulavit, ut migrator secum pugnaret et occisus est. Tum ipse Mars deus apparuit, ut ulcisceretur filium interfectum, et postulavit, ut Hercules secum pugnaret. At Iuppiter, cum nollet filios suos effundere sanguinem fraternum, ictu fulminis repentino




#### **NEREUS DEUS AQUATILIS**

pugnantes unum ab altero separavit. Deinde Hercules iter perrexit per terram Illyricam, trans flumen Eridanum properavit, ad nymphas Iovis et Themis venuit, quae ad ripas huius fluminis habitabant. Eas quoque rogavit iam antea rogatum. Quae responderunt: »Vade ad Nereum deum fluminis vetustum. Qui cum sit vates, omnes novit res. Quem opprime dormientem et vinci, ut coactus tibi indicet viam rectam.« Hercules hoc consilium secutus deum fluminis superavit, quamvis is, quā erat consuetudine, se permutteret in formas varias. Heros deum correptum non emisit, priusquam accepit, quā in regione mundi mala aurea Hesperidum esset inventurus. De hac re doctus iter fecit per

Libyam et Aegyptum. Quâ in terrâ postremâ dominabatur Busiris, filius Neptuni et Lysianassae. Cui r̄ēgi inter caritatem novennem a vate cyprio edictum erat oraculum crudele, non fore, ut sterilitas Aegypti finiretur, nisi quotannis Iovi summo deo immolaretur aliqui vir peregrinus. Busiris, ut vati gratias ageret, eum ipsum immolavit primum; iste barbarus hac crudelitate paulatim tam vehementer delectabatur, ut omnes peregrinos, cum in Aegyptum pervenissent, immisericorditer mactaret. Sic factum est, ut Hercules quoque correptus ad aras Iovis traheretur. At īdem vinculis diruptis Busiridem unâ cum filio et p̄aecone sacerdotali occīdit. Tum heros variis periculis subitis iter perrexit, liberavit, ut iam est narratum, Prometheus Titanem catenis ad Caucasum alligatum et liberato suadente tandem pervenit in terram, ubi Atlas onus caeli ferebat, prope quem arbor illa māla aurea ferens custodiebatur ab Hesperidibus.

Prometheus semideo suaserat, ne ipse fructūs illos aureos raperet, sed ut Atlantem emitteret surrepturum. Hercules ipse ut in gratiam huius laboris Atlanti offerret se interea caeli onus laturum esse umeris suis. Atlas cum paratus esset māla illa afferre, Hercules umeros suos ingentes fornici caeli supposuit. Ille autem profectus draconem se arbori circumvolventem sopivit, necavit, custodes illas dolo decepit, tandem tribus mālis decerpit feliciter ad Herculem revertit. Atlas: »At«, inquit, »cum umeri mei nunc senserint, quam iucundē se haberent, si ab onere vacarent caeli aenei, non iam volo caelum ferre.« Itaque Atlas mālis coram semideo in caespitem coniectis eundem reliquit insolitum onus intolerabile fermentem. Herculi dolus erat excogitandus, quo se liberaret. īdem gigantem caeliferum allocutus: »Sine me«, inquit, »arculum capiti circumnectam e restibus confectum, ne cerebrum meum dirumpatur onere horrendo.« Atlas, cum postulatum comprobaret, denuo – in pauca tantum momenta temporis, ut ipse putavit - caelo se substitit. At eo quod gigas Herculem sibi per vices subitum frustra exspectavit, fraudator ipse est fraudatus. Nam Hercules fructibus e caespite sublatis abiit illosque Eurystheo attulit, a quo, cum id non assecutus esset, ut heroēm de medio tolleret, eidem dono sunt redditia.



**HERCULES ET ATLAS**



**ATLAS ET HESPERIDES**

*Pinxit John Singer Sargent a.1925. Haec pictura invenitur  
in Museo Bostoniensi, quod appellatur Museum of Fine Arts.*

Hercules autem mâla aurea in arâ Minervae depositus; quae dea cum sciret fas non esse hos fructûs divinos condi loco alieno, mâla in hortum Hesperidum reportavit.



### **ECCE CERBERUS CANIS TRICEPS INFERNALIS**

Iis autem laboribus, quos Eurystheus mandaverat exanclandos Herculi competitori exoso, heros non sôlum non perditus erat, immo, iisdem heros illustratus est munus explens, quod sibi fato destinatum erat. Iis laboribus exanclatis Hercules apparuit destructor illius immanitatis terrestris, heros verê humanus, qui in mortales contulit beneficia.. At rex subdolos speravit Herculem in illâ regione, ubi ultimum periculum subiret, non posse ûti robore suo heroico; nam heroi nunc imminuit pugna cum monstro facienda, quod viribus infernalibus erat instructum: Herculi enim mandatum est, ut Cerberum canem infernalem sursum abduceret ab ipsis inferis. Huic bestiae immani erant tria capita canina gulis atrocissimis instructa, ex quibus saliva venenosa destillare numquam desinebat, ex corpore eius dependebat cauda draconina, capilli capitum dorsique erant serpentes sibilantes, quae circumvolvebantur. Ut aptus fieret ad hoc iter formidulosum, Hercules iit in Atticam urbem Eleusin, in quâ a sacerdotibus peritis servabatur doctrina arcana, quae spectabat ad res inferorum et superorum divinas. Ibidem heros a sacerdote Eumolpo initiatu*s* est mysteriis, postquam in locis sacris expiatus est a centaurorum interfectione. Hercules, cum sic vi arcanâ instructus esset, quâ sustineret terrores infernales, in Peloponnesum migravit, Taenaron in urbem Laconicam, ubi erat ostium inferorum. Ibidem Mercurio comite animarum ducente per cavernam altissimam descendit usque ad urbem r̄egis Plutonis. Umbræ, quae ante portas urbis infernalis maestê

ambulabant – nam apud inferos vita non tam hilariter degitur quam in lumine solis -, homines vivos carne et sanguine instructos cum conspexissent, aufugerunt; nemo illorum restitit nisi Gorgo Medusa et anima Meleagri. Hercules in illam gladium destricturus inhibitus est a Mercurio, qui eum docuit animas defunctorum, cum nihil essent nisi umbrarum imagines vanae, gladio non posse vulnerari. Sed postquam cum animâ Meleagri comiter collocutus est, idem desiderio affectus Herculem iussit salutare Deianiram caram suam sororem supra terram viventem. Hercules autem cum portas inferorum adveniret, conspexit amicos Theseum atque Pirithoum, quorum postremus altero comitante inferos advénit nuptias Proserpinae petiturus, propter hoc inceptum audax ambo a Plutone ad lapidem, in quo fatigati considerant, alligati erant. Theseus Pirithousque cum semideum sibi amicum conspexissent, obsecrantes manibus in eum erectis tremuli speraverunt vi Herculis factum iri, ut ad loca superiora reverterentur. Profecto Hercules Theseum manu comprehensâ a vinculis liberavit e solo, in quo vinctus erat prostratus, erexit. Non autem contigit, ut liberaret Pirithoum, nam tellus sub pedibus eius coepit tremere. Deinde Hercules progressus etiam Ascalaphum cognovit, qui olim prodiderat Proserpinam manducasse granata infernalia, quibus prohibebatur, ne rediret; Ascalaphus lapidem devolvit, quem Ceres propter filiam amissam in eum volverat desperata. Tum idem vir in greges Plutonis invictus unum e bobus mactavit, ut animabus potum praeberet; at hoc cum non permitteret Menoetius bubulus, postulavit, ut heros secum luctaretur. Sine morâ Hercules Menoetii corpus medium amplexus costas diffregit neque emisit, nisi Proserpinâ reginâ inferorum rogante. Ad portam autem urbis mortuorum rex Pluto stans Herculi interdixit, ne intraret. At cum umerus dei transfixus esset sagittâ herois, Pluto dolores mortalium sensit et semideo modestê roganti, ut sibi liceret canem infernalem secum abducere, haud diutius restitit. Tamen Pluto canis abductionem non permisit nisi eâ condicione, ut Hercules illum superaret sine armis, quae secum attulisset. Itaque heros inermis solâ loricâ obtectus et pelle leoninâ circumdatus profectus est monstrum capturus. Hercules Cerberum invénit ad ostium Acherontis nate incoxantem, latratu monstri tricipitis neglecto, qui sonabat tamquam tonitrua fusca repercutiendo multiplicata, capita canina cruribus suis interposuit, collum bracchiis circumclusum non emisit, quamvis cauda



### **HERCULES DOMAT CERBERUM**

istius canis, quae erat serpens viva, arrecta se tollens inguina herois morderet. Idem autem cervicem caninam correptam tam diu strangulavit, dum bestiam immanem cohiberet. Denique eadē sublatā Hercules per alterum ostium inferorum prope Troezenem in terrā argolicā situm feliciter in mundo superiore se emersit. At canis infernalis lumine diurno conspecto cohorescens salivam sputare coepit; qua effectum est, ut aconitum ex humo cresceret venenosum. Hercules autem monstrum in vincula coniectum Tiryntem secum adductum monstravit Eurystheo, qui tam vehementer stupefactus est, ut oculis suis diffideret. Nunc tandem rex cum desperaret umquam fore, ut defungeretur a filio Iovis sibi exoso, fato concedens heroem dimisit, qui canem infernalem ad inferos reportavit.

\* \* \*

**ULTIMOS LABORES AB HERCULE EXANCLATOS  
A GUSTAVO SCHWAB THEODISCE ENARRATOS**



**IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS**




**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS.**

# DE FABULA LUPI MARINI

## A IACOBO LONDONIO SCRIPTA



*The Sea-Wolf, editio omnium prima*

**Lupus marinus** (cuius anglicus titulus originalis est *The Sea-Wolf*) est fabula romanica a. 1904 primum edita et a Iacobo Londonio (1876-1916) scripta. Prima iam editio huius libri celerrimē est divenditus.

### Argumentum.

In fabulâ Lupi marini **Humfridus** (*Humphrey*) **van Weyden**, quidam vir litteratus et somniosus elegantiorum litterarum amantissimus narrat, quomodo pontone **Saliculâ** (*Sausalito*) ex oppido **Franciscopolin** (*San Francisco*) in urbem vehens naufragium fecerit et desperatus in mari fluctuans nave hemioliâ<sup>1</sup> phocarum<sup>2</sup> captatrice servatus sit.

<sup>1</sup> \***hēmiólía**, -ae f. (sc. nāvis) angl. *schooner*; theod. *Schoner*; fr. *goélette*, hisp. *goleta*; lusitan. *escuna*; ital. *scuna*; ngr. **ημιολία** (ἡ γολέτα ἡ σκούνα).

<sup>2</sup> **phōca**, -ae f. i.q. vitulus marinus. angl. *seal*; theod. *Robbe, Seehund*; fr. *phoque commun, veau marin*; hisp. *foca común, foca de puerto, foca moteada*; ital. *foca comune*; ngr. *φώκια, φώκη*. cfr PLIN.nat.9,19 Et vituli marini, quos vocant phocas, spirant ac dormiunt in terra.



Hac in nave, quae appellatur »**Phasma**« (*Ghost*), nauarchus nomine **Lupus Larsenius** (*Wolf Larsen*) sive **Lupus Marinus** (*Sea-Wolf*) nautas suos immisericorditer vexat. Qui vir non solum est ingenti robore et saevitiâ, sed etiam summâ intelligentiâ praeditus et suo Marte doctus et litteratus. Cum autem neget deum esse et immortalitatem, sibi persuasum habet vitam hominum fieri sine ullâ lêge morali nisi privilegio robustioris, fortioris, aptioris. Idem nauarchus saevus et ingeniosus propriam sibi fecit doctrinam darwinismi socialis. Lupus Marinus Humfrido affirmat homines nihil esse nisi »vilissimas glaebulas fermenti«, quas ipse libenter aspectet de vitâ suâ pugnantes. Studium immortalitatis assequendae esse tenerrimam cogitationem stupidissimam. Altruismum esse stultitiam, quam colere neminem posse nisi talem hominem, qualis sit Humfridus filius patris pecuniosi.

Lupus Larsenius Humfridum ludibrio habens humiliat eo, quod eum cogit, ut laboret puer coquinarius et postea eidem munus mandat gubernatoris, quamvis Humfridus rerum nauticarum sit omnino imperitus. Tamen idem discit rebus nauticis aptê atque commodê ûti et, ut Larsenius postea adnotat, »tandem stare pedibus propriis«<sup>3</sup>.

---

<sup>3</sup> cfr Jack London, *The Sea-Wolf and selected stories*. With an Afterword by Franklin Walker. New American Library, New York - Scarborough/Ontario - London 1964. *The Sea-Wolf*, cap.34, p.249:  
»It seems as though you're standing on your own legs at last, Hump," we heard him say; and then for some time he was silent«.

Processu temporis Humfrido contingit, ut auctoritatem sibi comparet apud nautas et nauarchum, quocum nonnumquam subtilia colloquia habet philosophica. Licet Humfridus numquam desinat de Larsenio suspicionem habere, tamen paulatim inter hos viros oritur quaedam ratio confidentiae mutuae. Haec confidentia in discrimen adducitur, cum **Mathilda (Maud) Brewster**, quaedam mulier naufraga, Phasmate servatur. Quae auctrix librorum bonis litteris imbuta, nunc a Lupo Larsenio similiter ac Humfridus cogitur, ut in Phasmate remaneat.

Denique Humfridus in amorem incidit Mathildae; cum quadam nocte Lupus Larsenius eam urgeat venerem petens, Humfridus cultro nauarchum violat. Deinde Humfrido Mathildaeque contingit, ut scaphâ aufugiant; errore per septimanias facto appelluntur ad insulam cultorum egentem. Paucis diebus post etiam Phasma navis hemiola appellitur ad hanc insulam. Quâ in nave unus tantum restat epibata: Lupus Larsenius. Is autem solus in Phasmate relictus est a nautis suis ad aliam navem transgressis, quam possidet frater Lupi, qui vocatur **Thanatus (Death) Larsenius**, venator quoque phocarum Lupique competitor.

Lupus autem Larsenius interim oculos suos amisit, quod videtur factum esse tumore quodam cerebralii. Is vir nunc non iam periculosus esse videtur. Humfridus et Mathilda statuunt, ut navem reficiant, sed Lupus Larsenius, qui mori vult in insulâ, omnia studia navis reparandae inhibet. Idem Humfridum necare conatus paralysi lateris dextri corripitur. Humfridus atque Mathilda Lupum Marinum curant, etiamsi idem conatur navem accedere. Valetudo Lupi marini in dies ingravescit, sinistrum quoque latus eius debilitatur. Hôc spatio temporis iterum iterumque Humfridus cum Lupo disceptat, quid valeant robur corporis et anima. De his quoque rebus colloquium fit ultimum. Mathilda e Lupo Marino quaerit, quid is sentiat de immortalitate. At Lupus Larsenius, qui interim alterâ apoplexiâ cerebralii correptus loqui non iam potest, respondet ultimo suo verbo vi manûs extremâ scripto: »G E R R A E !«<sup>4</sup>


---

<sup>4</sup> cfr Jack London, op.mem., cap.38, p.275: »The pencil dropped, and we had to replace it in the hand. "When there is no pain I have perfect peace and quiet, I have never thought so clearly. I can ponder life and death like a Hindu sage." – "And immortality?" Maud queried loudly in the ear. Three times the hand essayed to write but fumbled hopelessly. The pencil fell. In vain we tried to replace it. The fingers

Cum Humfrido contigerit, ut Phasma reficeret, insulam relinquunt.  
Inter tempestatem gravissimam Larsenius moritur.

Lupo Marino undis tradito Humfridus cum Mathildâ iter pergit. Eo autem momento temporis, quo Humfridus van Weyden et Mathilda Brewster nave vaporariâ inveniuntur, ut adventuram suam feliciter superent, unus alteri amorem suum confessus primum omnium inter se osculantur.


### ECCE LUPUS MARINUS.




---

could not close on it. Then Maud pressed and held the fingers about the pencil with her own hand, and the hand wrote, in large letters, and so slowly that the minutes ticked off to each letter, "B-O-S-H."«

## TRES HISTRIONES PERSONAM LUPI MARINI GERENTES



RAIMUND HARMSTORF (a.1971)



THOMAS KRETSCHMANN (a.2008)



SEBASTIAN KOCH (a.2009)

## Cinemata secundum argumentum Lupi marini confecta

Haec fabula ex anno 1920 compluries ad cinema redacta est, sed in iisdem argumentum variē tractatur.

**The Sea Wolf** (USA, a.1920), personam Lupi marini gerit **Noah Beery**, ipsius Humphrey van Weyden personam gerit **Tom Forman**.

**The Sea Wolf** (USA, a.1941). **Edward G. Robinson** personam gerit Lupi marini, **Alexander Knox** personam gerit ipsius Humphrey van Weyden, dissignator scaenarum est **Michael Curtiz**.

**Wolf Larsen** (USA, a.1958), **Barry Sullivan** personam Lupi marini gerit, **Peter Graves** personam ipsius Humphrey van Weyden.

**Der Seewolf**, a.1971 – Cinema adventurarum quadripartitum. Coproductio germanico-dacorumanico-francogallica. Persona Lupi marini geritur a **Raimund Harmstorf**, persona ipsius Humphrey van Weyden geritur ab **Edward Meeks**. Hoc cinema cum ceteris tum stationi televisificae, q.d. ZDF, est confectum, Wolfgang Staudte scaenas dissignant, in Dacoromania, in Deltâ Danubii. Ecce hoc cinema totum spectari potest in interreti:

pars 1: Ein seltsames Schiff. [https://www.youtube.com/watch?v=1LTiZ1\\_enBU](https://www.youtube.com/watch?v=1LTiZ1_enBU)

pars 2: Kurs auf Uma. <https://www.youtube.com/watch?v=NntHB3VLdRs>

pars 3: Das Land der kleinen Zweige. [https://www.youtube.com/watch?v=Kv19\\_RrPOI8](https://www.youtube.com/watch?v=Kv19_RrPOI8)

pars 4: Die Suche nach einer verlorenen Insel. <https://www.youtube.com/watch?v=3CED0mD85wQ>

**Il lupo dei mari** (Italien, 1975), **Chuck Connors** personam gerit Lupi marini, **Giuseppe Pambieri** personam ipsius Humphrey van Weyden.

**Морской волк** (*Morskoy volk*, Russia, a.1991, cinema televisorum), personam Lupi marini gerit **Liubomiras Lauciaevicius**, personam ipsius Humphrey van Weyden gerit **Andrei Rudensky**. Ecce receptio huius cinematatis interretialis:

[https://www.youtube.com/watch?v=lFhuaEqjAy0&list=PL3RYZO9qYh\\_wMXc\\_BY8xdE0bA1p0yKntY](https://www.youtube.com/watch?v=lFhuaEqjAy0&list=PL3RYZO9qYh_wMXc_BY8xdE0bA1p0yKntY)

[https://www.youtube.com/watch?v=4MfaxhXeWbQ&index=2&list=PL3RYZO9qYh\\_wMXc\\_BY8xdE0bA1p0yKntY](https://www.youtube.com/watch?v=4MfaxhXeWbQ&index=2&list=PL3RYZO9qYh_wMXc_BY8xdE0bA1p0yKntY)

[https://www.youtube.com/watch?v=sxwjeWE76CQ&list=PL3RYZO9qYh\\_wMXc\\_BY8xdE0bA1p0yKntY&index=3](https://www.youtube.com/watch?v=sxwjeWE76CQ&list=PL3RYZO9qYh_wMXc_BY8xdE0bA1p0yKntY&index=3)

[https://www.youtube.com/watch?v=kD6o8GQ9UHE&list=PL3RYZO9qYh\\_wMXc\\_BY8xdE0bA1p0yKntY&index=4](https://www.youtube.com/watch?v=kD6o8GQ9UHE&list=PL3RYZO9qYh_wMXc_BY8xdE0bA1p0yKntY&index=4)

**The Sea Wolf** (USA, a.1993, cinema televisorum), **Charles Bronson** personam gerit Lupi marini, **Christopher Reeve** personam gerit ipsius Humphrey van Weyden.

**The Sea Wolf** (USA, a.1997), **Stacey Keach** est histrio principalis.

**Der Seewolf** (Germania, a.2008), **Thomas Kretschmann** personam gerit Lupi marini, **Florian Stetter** personam gerit ipsius Humphrey van Weyden. Cinema bipartitum Stationis televisificae, q.d. ProSieben.

**Der Seewolf** (Germania/Canada, a.2009), **Sebastian Koch** personam gerit Lupi marini, **Stephen Campbell Moore** personam ipsius Humphrey van Weyden. Cinema bipartitum Stationis televisificae, q.d. ZDF.

## Textus originalis

- 1) [Wikisource: The Sea-Wolf](#) – Textus completus (anglicê scripti)
- 2) Jack London, The Sea-Wolf and selected stories. With an Afterword by Franklin Walker. New American Library, New York - Scarborough/Ontario - London 1964. The Sea-Wolf. p.7-284.

## Nonnullae versiones Lupi marini theodiscae

Lupus marinus a compluribus interpretibus in sermonem theodiscum conversus est:

DIECK, Barbara (a.2002): Ueberreuter [ISBN 3-8000-2978-2](#)  
 HOEPPENER, Christine (a.2001): Diogenes [ISBN 3-257-21509-6](#)  
 HORSTMANN, Ulrich (a.2001): Artemis & Winkler [ISBN 3-538-06898-4](#)  
 MAGNUS, Erwin (a.1926): dtv (2009) [ISBN 978-3-423-08620-2](#)  
 NAUMANN & GÖBEL (edd., Köln, ca.1987). sine anno, sine nomine interpretis.  
 WOLFF, Lutz-W. (2014) Der Seewolf, dtv (2014) [ISBN 978-3-423-14364-6](#)

## Libri audibles

- The Sea-Wolf. Anglicus textus originalis completus recitatur: MP3-CD, Bertz + Fischer (2006) - [ISBN 3-86505-502-8](#)
- Der Seewolf, 3 libri audibiles, recitatur a Ben Becker, Eichborn (2005) - [ISBN 3-938943-00-9](#)
- Der Seewolf, 2 libri audibiles, recitatur a Ben Becker, Ueberreuter (2005) - [ISBN 3-8000-8012-5](#)
- Der Seewolf, 8 libri audibiles, Cine Plus Home Entertainment (2006) - [ISBN 3-938339-35-7](#)
- Der Seewolf, 4 libri audibiles, recitatur a Sebastiano Koch, Random House Audio (2009) - [ISBN 978-3-8371-0137-9](#)



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam – rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR. | Num.<br>manda-<br>telae | ISBN              | TITULUS   | AUCTOR                     | TRANS-<br>LATOR | ANNUS | FORMA         | AMPLI-<br>TUDO | PRE-<br>TIUM |
|-----|-------------------------|-------------------|---|----------------------------|-----------------|-------|---------------|----------------|--------------|
| 1   | 00104                   | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA   | Anonymus<br>(Old Indian)   | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,90      |
| 2   | 00104 A                 | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles                          | Anonymus<br>(Old Indian)   | Nikolaus Gross  | 2005  | Audio         | 21 min.        | € 22,90      |
| 3   | 00204                   | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe            | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 33 pp.         | € 27,50      |
| 4   | 00304                   | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE                                     | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 6 pp.          | € 17,90      |
| 5   | 00304 A                 | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles                    | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross  | 2004  | Audio         | 6 min.         | € 20,90      |
| 6   | 00404                   | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI  | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,90      |
| 7   | 00404 A                 | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibles   | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross  | 2005  | Audio         | 20 min.        | € 21,90      |
| 8   | 00504                   | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO  | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 14 pp.         | € 19,50      |
| 9   | 00604                   | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS   | Nikolaus Gross             | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 16 pp.         | € 19,00      |
| 10  | 00704                   | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS  | Diogenes Anaedoeus         | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 11 pp.         | € 19,50      |
| 11  | 00804                   | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI   | Diogenes Anaedoeus         | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,90      |
| 12  | 00904                   | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAЕ   | Bertolt Brecht             | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 21 pp.         | € 22,00      |
| 13  | 01004                   | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN   | Henricus van den Lande de  | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,50      |

|    |         |                   |  |                               |                |      |               |         |         |
|----|---------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|---------------|---------|---------|
|    |         |                   |  | Raelt                         |                |      |               |         |         |
| 14 | 01104   | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO                       | Nikolaus Gross                | -----          | 2004 | CD-ROM        | 21 pp.  | € 22,00 |
| 15 | 01204   | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIAE 1  | Jacob Grimm/<br>Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 16 | 00105   | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS   | Friedrich Dürrenma tt         | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 49 pp.  | € 31,90 |
| 17 | 00205   | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE                                   | Gerhart Hauptman n            | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 18 | 00305   | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)                                   | Christoph Martin Wieland      | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 15 pp.  | € 19,50 |
| 19 | 00405   | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT                              | Johann Wolfgang von Goethe    | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 82 pp.  | € 38,90 |
| 20 | 00505 A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles  | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 00605 A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles       | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 00705 A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles                  | C.I. Caesar                   | -----          | 2005 | Audio         | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106   | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ                                      | Nikolaus Gross                | -----          | 2006 | CD-ROM pdf    | 87 pp.  | € 48,00 |
| 24 | 00206   | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM | Karl Friedrich Kielmeyer      | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf    | 66 pp.  | € 38,00 |
| 25 | 00306 A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles                  | C.I. Caesar                   | -----          | 2006 | Audio         | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 00406 A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles  | M.T. Cicero                   | -----          | 2006 | Audio         | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 00506 A | 978-3-938905-26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles   | L.A. Seneca                   | -----          | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |
| 28 | 00107 A | 978-3-938905-27-2 | ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS                            | Apuleius                      | --             | 2007 | Audio         | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 00207   | 978-3-            | OBSIDIO SAGUNTI A  | Livius                        | _____          | 2007 | Audio         | 53 min. | € 23,90 |

|    |       |                   |                        |                              |                |      |               |        |         |
|----|-------|-------------------|------------------------|------------------------------|----------------|------|---------------|--------|---------|
|    | A     | 938905-28-9       | T.LIVIO DESCRIPTA      |                              |                |      |               |        |         |
| 30 | 00307 | 978-3-938905-29-6 | FABELLAE GRIMMIANAE II | Jacob Grimm/<br>Wihelm Grimm | Nikolaus Gross | 2007 | CD-ROM<br>pdf | 58 pp. | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEPTIMAM DECIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Martis, 06. m.Sept. a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**